



**I**ohannes apud Belgas Ruremundi natus, & à pueris optimè in literis institutus fuit. Cum is literarum fundamenta iecisset, sese Coloniam contulit, & in ea Academia adeò in liberalibus artibus profecit, ut inter philosophiæ professores omnium uotis receptus fuerit, anno circiter millesimũ quingentesimum decimum tertium. Scripsit Iohannes plurima, inter quæ extat Isagoge in Aristotelis prædicamenta, Cæsarij Dialecticæ adiecta. deinde uersus præstantiores Tibulli, Catulli, Propertij, & Ouidij decerpit & exposuit. Tabulas quoque Grammatices & Profodiæ ædedit, Persium commentarijs illustrauit, & Boëtij libros quinque de Consola-

tione philosophiæ doctissimis commentarijs exornauit. Cum hoc modo bonis studijs iuandis operam daret, omnibus doctis innotuit, atque cunctis gratissimus extitit. Itaque meritò Murmellius ob uaria ingenij documenta, quæ ad posteros magna laude transmisit, præclaris Germaniæ uiris connumeratur. Con. Ges. in Biblioth.